

05 A 2486

05

A

2486





X
PRÆCOGNITORUM THEO-
LOGICORUM

DISPUTATIO X.
ET ULTIMA.

DE VERAPAR-
TITIONE THEOLO-
GIÆ VEL ACCURATI SY-
STEMATIS THEOLOGICI.

Quam

*Ter maximi ac trinunius JEHOVÆ
auspiciis*

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

Ad placidam συζήτησιν in Auditorio minori

Proponit

GOTTFRIDUS OLEARIUS,
Hallenſis Saxo.

Die 29. Junij, Horis pomeridianis.

Witteberga, Typis Jobannis Gormanni,
Anno M DC XXV.

THEO. LOGICORUM
DISPUTATIO
ET METHODUS

DE VERBA PAR
TITULUS THEO.
GIVELACORATI SY
STATIS THEOLOGIC



05 A 2426

GOTTFRIDUS OLEARIUS
Hollensis Saxo.

Disputatio, Havn. poveridiana.

Hindenburg, Johann Gottfried
Halle, 1711.





ברך

Προόμιον.



Entium Doctor Divus Paulus, Theologorum novi fœderis post Archiepiscopum animarum facile ἀγάδρ, Timotheum suum & omnes Apostolorum filios inter reliqua jubet: ὁρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, 2. Timoth. 2. v. 15. Porro ὁρθοτομεῖν nihil ali-

ud est quam in rectum secare, ad normam & amussim undiquaq; conformare sic, ut nihil sit biulcum, mancum aut supero vacuum, λόγος α. τῆς ἀληθείας is ipse est, de quo Salvator ait in oratione ἀγαγωνίῳ Joban. 17. v. 17. sermo tuus veritas est; Et sic ὁρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας erit legitimè & secundum fidei analogiam secare atq; partiri Verbū cœleste & veritatis, ne ex doctrina legis & Evangelij, fidei & operum, ceterisq; contentis, confusum oriatur chaos & confusior per consequens κατὰ χησις, confusissima verò πρᾶξις; verum ut distinctè diducta & explicata omnia ad fines suos legitimos ordinentur, indigitatos quidem, Rom. 15. v. 4. & 2. Tim. 3. v. 16. Apostolus itaq; non communiter modo innuere voluit ordinem ac distinctum docendi modum omnis πρᾶγματείας esse columnen ac stabilimentū & proinde etiam atq; etiam intendendum; Verum etiam cum primis in Theologia ordine ac distincta ratione omnium maximè opus esse; cum enim ex verbo veritatis Θεοπνεύτω & ἀποπίσω tanquam summo & infallibili principio Theologia extruatur, ita ut illius sit εἰσὼ γωγὴ τε καὶ ἴπιτομή; quanto magis ad justissimam amussim & regulam secanda & conformanda erit; ut enim nihil amplius de ordinis ac distinctionis tum dignitate, tum utilitate & necessitate in medium proferam, sufficiat nobis ἀξιωματικόν & ἑν Apostolicū 1. Cor. 14.

v. 40. positum, πάντα κατὰ τὰς ἐν γινέσθω. Proinde enucleatâ
 hæcenus Theologici studii methodo, expositis terminis ac
 trutinatâ nativa Theologiæ constitutione, jam Coronidis
 loco, & ut proximali huic Διγρονέψη summa imponatur manus
 de vera ὀρθότητι ac genuina partitione Theologiæ maximo soli-
 citi sumus opere, eamq; ob dictas causas jure meritò investiga-
 mus. Quemadmodum verò nihil in partes secari ac dividi po-
 test, nisi prius totum atq; integrum legitimè sit adunatum &
 constitutum, pariter & cum Theologia agendum fuit, ea enim
 rectè constituta & extructa, jam optimè omnium in suas di-
 spescitur partes & in legitima secatur membra, qua de partiti-
 one, cum Θεῶν τρισμεγίστων καὶ τριστοιχίῳ sit:

THEOREMA I.

Theologia dividitur in duas partes. *Sepositis aliorum partitionibus & methodis quarum tot ferè sunt quot capita & Theologiæ compendia, dicimus brevi- ter THEOLOGIAM dividi posse in partem generalem vel communem, & specialem vel propriam.*

I. Quemadmodum mens humana suam imbecillitatem & in-
 errando facilitatem abunde semper prodit in rebus terrenis na-
 turalibus atque caducis, sic multò, gravius faciliusque hallucina-
 tur, labitur ac decipitur in rebus cælestibus, spiritualibus ac æter-
 nis, quo minor est eorum omnium proportio & convenientia,
 quod ipsum & deplorat in persona sapientissimi Salomonis, au-
 tor libri Sapientiæ, c. 9. v. 16. & 17. inquiens: *Difficile æstimamus quæ
 in terra sunt & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore, quæ autem
 in cælis sunt quis investigabit?* Eâdem de causa graviter redarguitur à
 Salvatore nostro Nicodemus, qui de terrenis verba facientem,
 audiens, nihilominus ingeminabat suum: πῶς δύναται ταῦτα
 γινέσθαι; Johan. 3. v. 9.

2. Consimilis hallucinatio, ut alia reticeamus se se offert ac
 denso surgit agmine, quoties Theologia seu potius ejusdem syste-
 ma) de appellationibus quippe & speciebus impræsentiarum non agimus)
 venit partiendum & in legitima membra legitimè secandum, ibi
 enim juxta Poëtam: *Velle suum cuiq; est nec voto vivitur uno;* hic in
 sua

sua partitione respicit *objectum*, ille *subjectum*, alius intendit *methodum syntheticam*, alius *analyticam*, unde diversæ & multiformes Theologiæ oriuntur partitiones, quarum nonnullas hac vice enumerabimus, enumeratas lustrabimus, lustratas seponemus, sepositisq; iisdem de vera partitione differemus.

3. Qui itaque *objectum* respiciunt, Theologiam in duas partes dividunt: Unam de veritate cœlesti principiorum seu verbi divini; alteram de veritate principiatorum seu verbo divino contentorum; & sic pars prior agit de scriptura ejus natura essentia & affectionibus; pars posterior tractat de DEO, in essentia & voluntate seu in operibus & actionibus considerato. Cui partitioni similima est ea, quâ Theologiæ itidem duæ constituuntur partes, quarum prior agit de verbo DEI tanquam fundamento & principio religionis nostræ primo & unico, posterior de eo quod in verbo illo nobis est patefactum.

4. Qui *subjectum* respiciunt, cum Alstedio l. 7. præcog. c. 8 p. 36. *Theologiã viatorum* dividunt in naturalem, & nō naturalem. hanc v. in infusam & acquisitam; acquisitam dicunt esse vel initiatorū vel confirmatorum. Initiatorum est Catechetica. Theologia confirmatorum est perfectior eaq; vel Scholastica vel Ecclesiastica, illa magis est Theorica hæc magis practica. Porro Ecclesiastica est vel communis informans omnem Christianum ad pacandam conscientiam & dicitur Theologia casuum; vel est propria, quæ concernit Ecclesiæ vel doctorem & dicitur Prophetica, vel auditorem & dicitur acroamatica. Hoc ipso autem modo Systema Theologicum septenis absolvunt libris, in quorum primo tractantur *præcognita*, in secundo *Theologia naturalis*, in tertio *Theologia Catechetica*, in quarto *Theologia Scholastica*, in quinto *Theologia casuum*, in sexto *Theologia Prophetica*, in septimo *Theologia acroamatica*.

5. Qui *methodum syntheticam* attendunt, cum Treleatio Juniore in Instit. l. 2 p. 58. post explicata duo Theologiæ principia, primum quoad *quod cognoscere*, quod est verbum DEI & primum quoad *quod esse*, quod est DEUS ipse, demum in partes Theologiam dispescunt, quarum pro ratione finis & mediorum duæ constituuntur: Una agit de causis salutis nostræ eoq; de DEI operibus & effectis, altera de subjecto illius, i. e., homine variaq; operibus & effectis, altera de subjecto illius, i. e., homine variaq;

Sententia varia, quædam respiciunt:

I. *Objectū.*

II. *Subjectum.*

III. *Methodum Syntheticam.*

hominis conditione & statu. *Salus n.* inquit Trelocatius l. d. *que Theologiae finis proximus est consideratur vel in se & in causis suis simpliciter, vel relate ad subjectum ad quod ordinata est, quâ ratione variè modificatur, pro conditione subjecti multiplice in quo est.*

IV. Methodum analyticam.

6. Qui verò *methodum analyticam* sequuntur, duas Theologiae constituunt partes communem & propriam, quarum utraq; in tres alias subdividitur, videlicet in primam de fine, secundam de subjecto, & tertiam de mediis ad finem. In parte priori & communi agunt de fine, qui est *beatitudo*, de subjecto, quod est *homo*, quâ beabilis sive ad vitam æternam perducitur potest, (ubi simul annotatur primæ beatitudo ejusq; corruptio & amissio) & demum de mediis & principiis à quibus beatitudo dependet, quæ sunt *gratia divina*, ut *ωεγνυμεν* impellens interna; *meritum Christi ωεγουαλαεχινη* impellens externa, sive meritoria causa, *fides ωρυαυνη* instrumentalis, qua oblata & acquisita tum apprehenduntur tum applicantur. In parte posteriori seu propria iterum agitur de fine, qui est *Ecclesia*, de subjecto, quod sunt homines cujusq; gentis officii, aut dignitatis, & demum de principiis & mediis quibus Ecclesia tum constituitur & fundatur, tum stabilitur & conservatur.

Sententia Polani proponitur.

7. Harum partitionum singularum limatiorem pensitationem altioremque trutinacionem ad ipsum *συζηήσεως* actum & conflictum reservatam volumus; interim placet hic de sententia Polani nonnihil adjicere; is quidem lib. 2. Synt. Theol. cap. 1. Col. 833. duas Theologiae facit partes: primam de *fide*, alteram de *bonis operibus*: prior est *ωε των πισων* de rebus credendis; posterior *ωε των πρακων* de rebus faciendis; quam ipsam partitionem fuscè confirmare nititur loco dicto, & quidem *dictis scripturae, rationibus & testimoniis* tum patrum tum sui ordinis Theologorum. *Dicta scripturae* sunt quæ leguntur Act. 14. v. 14. 15. 16. 1. Joh. 3. v. 23. Rom. 10. v. 9. 10. Galat. 5. v. 6. 1. Tim. 1. v. 18. 19. Philip. 1. v. 27. 29. Tit. 3. v. 8. Marc. 1. v. 15. 2. Tim. 2. v. 13. Eph. 1. v. 15. 16. Jesa. 2. v. 3. 1. Tim. 3. v. 9. Ad quæ omnia respondemus, quod maximam partem sint *αωεγοδιονου*, non enim loquuntur de *accurata & perfecta Theologia systematica*, qua de jam occupati sumus; sed vel de officio cujusvis Christiani in genere, vel de Ministrorum Ecclesiae munere in specie, vel de Theologia viatorum, quatenus existit, qualisq; existere debet in ple-

Refutatur in genere.

plebeiorum s. Idiotarū animis, de quibus omnibus liberaliter largiri & concedere possumus, ea optimè in hisce duobus, fide nempe & bonis operibus consistere, absolvi v. per omnia minimè.

8. *Rationes Polani* quod attinet, earum: I. desumpta est à partibus verbi divini, quæ sint duæ fides & bona opera. II. à cōvenientia hujus partitionis cum finibus scripturæ proximis & immediatis, informatione sc. ad *γνώσιν ἀληθείας* & directione ad *πράξιν εὐσεβείας*. III. à convenientia propria cum fine Theologiæ, quæ est disciplina practica, quarum finis est non sola cognitio sed & operatio. IV. à duplici modo accedendi ad DEUM qui fit fide & operibus. V. ab exemplo Apostolorum qui doctrinam Christianam fide & bonorum operum institutione comprehendunt. VI. à congruentia datæ partitionis cum probatis exemplis veræ praxeos Christianæ religionis, quod ipsum multis exemplis Polanus declarare satagit. Ad quæ *argumenta* breviter respondemus & *in genere* quidem: hanc ipsam Theologiæ partitionem in doctrinam de fide & operibus nimis angustam esse, ad neutram enim harum partium *παθολογική* de spirituali miseria & corruptione hominis rectè referri potest; *In specie* v. ad I. Resp. laborare illud *ἀσυλλογία*, quemadmodum enim Polanus non concedet, quia Lex & Evangelium duæ sint scripturæ partes, in quas sæpè ab Apostolis dividitur, easdem & esse Theologiæ; ita nec hoc in loco, cum *tot partes, quot sunt principum non semper easdem numero arguant principiorum*, aliàs una causa semper eosdem numero & qualitate produceret effectus, quod tamen non fieri in naturalibus ubique est obvium. Deinde, unde probabit hanc partitionem scripturæ Polanus? longè aliam posuit ipse Christus Luc. 24. v. 27. longè alias quoque orthodoxi & heterodoxi ponunt Theologi, ad quas v. Theologiæ systema partiendum esse nemo facile largietur.

*In specie
rationes:*

1.

2.

3.

9. Ad II. Resp. præterquam quod probatione careat, committi in eo fallaciam divisionis. non secus enim atq; *διδασκαλία, παιδεία, ἔλεγχος & ἐπαινήσις* scripturæ fines sunt, pariter quoq; *ὠφελήσις* ejus finis est positus ab Apostolo Rom. 15. v. 4. Ergo & huic fini partitio accommodanda erit, quod tamen Polanus nec facit, nec facere potest, ut liquidum est. Ad III. Resp. *nimis*

nimis insufficientem in eo fieri enumerationem partium, est sanè Theologia non theoretica nudè sed practica potissimū disciplina, cujus proinde finis est operari; sed alii adhuc sunt fines Theologiæ, datur n. finis *ultimus & summus* respectu Dei *majestas & gloria*, respectu hominū *beatitudo sempiterna*, his ergò finib. singulis attēperanda erit juxta Polan. Theologiæ partitio, qualem ab ipso allatā nō esse, ex dictis similiter *ὁφθαλμοφανερῶς* innotescit. Ad IV. Resp. nō modos ad Deum accedendi Theologiæ partitionē inferre, aliās n. & verbum *ἄχρῶν*, & *ὄρατῶν* sive Sacramenta, preces & alia divinæ accessionis media numero bene multa idē facere possent; Verum ex hominis qui lapsus est, restituendi cura tū generali tum speciali, faciendum esse judicium hoc in loco, ex post dicendis apparebit.

10. Ad V. Resp. per concessionem, quod enim Apostoli fidei doctrina & bonorum operum institutione Christianam comprehenderint doctrinā facilè largimur; à doctrina verò Christiana generalissimè sumpta Theologiam systematicam propriissimè dictam non parum differre similiter asserimus; Sanè faciunt illud Apostoli, ut auditores & Ecclesias suas in fide & bonis operibus instruant, multò plus verò à doctoribus Ecclesiasticis requirunt, nempe, ut potentes sint *ὡδρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆ ὑγιαίνουσα καὶ τὰς ἀνπλέγοντας ὀπισθομίζειν* Tit. i. v. 9. ii. ut habeant *ὡσοτίπωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων*, 2. Tim. i. v. v. 13. ut habeant *ὡροφητείου κατὰ τὴν ἀναλογία τῆς πίστεως*, Rom. 12. v. 6. & quæ alia sunt Dd. Ecclesiæ requisita, quæ quidem in sola fidei & bonorum operum doctrina non terminantur.

6. Ad VI. Resp. nimis id particulare esse, quod n. *praxis* religionis immensum ac profundissimū mare Theologicum non exhauriat, ex præcedentibus Dispp. plus satis notū erit, multò ergo minus à praxi illa universæ Theologiæ constituenda fuerit partitio, quippe quæ tam cognitione ac confirmatione rerū Theologicarum, quā cultu Dei hominem corruptum redintegrare & ad salutem deperditam reducere intentum habet. *Testimonia Patrum* quod attinet nec non asseclarum Polani effata, cum nihil aliud asserant, quam quod rationibus jam debellatis assertum voluit, non modo pariter eis obviam ire, quin potius suo loco relinquere easdem possumus, præsertim cum nil aliud intendant, quam quod Christiana do-

Strinæ communiter, (non verò Theologia specialiter) fidem & bona opera, summa & primaria esse capita confirmant.

II. Sic ergo sepositis potioribus, quæ de partitione Theologici systematis, foventur opinionibus, uno verbo dicimus & asserimus, commodissime dividi ac dissecti posse Theologiam in duas distinctas partes, quarum una est generalis vel communis, altera specialis vel propria; progrediendo quidem à communioribus & notioribus ad specialiora & minus nota, quæ via est non tam frequentata quam accommodata & fructuosa; Instituetur autem dicta nostra partitio modo peculiari & in sequentibus sufficienter declarando & exponendo.

Sententia
vera.

THEOREMA II.

Pars Theologiae generalis vel communis est, quæ circa spirituales hominis lapsi curam in genere versatur & de religione fidei, articulis agit, generatim explicando, quid sit religio, quid fidei articuli, quinam fundamentales qui verò minus principales, refutando argumentis generalibus quamvis religionem falsam in Ecclesia & extra Ecclesiam; ostendendo modum convertendi Judæos, Turcas, Ethnicos, hereticos, propugnando religionis Christianæ veritatem, quo ita ex animis hominum ista belua verò Christianismo directè contraria nimirum infidelitas hæresis & impietas eò rectius expelli possint.

Pars communis s.
generalis.

Βεβαιωσ

I. Cum Theologia unicè occupetur in informando & erudiendo futuri Theologi animo, quo lapsos ac peccato perditos homines spiritualiter sanare, erigere & ad æternam salutem perducere possit, expedit hanc ipsam curam & informationem per religionis veræ explicationem & impressionem. Ipsa autem religio spectatur gemino modo vel in genere seu quoad totam naturam suam, vel partialiter seu quoad speciales distinctosq; religionis articulos. Unde repullulant dictæ duæ partes Theologiæ, generalis s. communis, & specialis s. propria. Cum autem scopus primæ partis sit exponere curam & medelam lapsi hominis in genere, perficit hoc ipsum per duo capita: 1. per generalem religionis considerationem. 2. per generalem articulorum religionis expositionem.

B.

nem.

nevi. de quibus in sequentibus Dispp. fufius ac distinctius agetur.

Per mem-
bra.

I.

2. Notanda autem hic sunt *quatuor summa capita* in quibus pars ista Theologiæ generalis & communis absolvitur. Nam I. generatim exponit medium ac remedium illud augustissimum ac præsentaneum lapsi hominis, quod est sacra *religio* s. cultus creatoris à quo aversus est, quibus illa constet quasi partibus & fulcris quæ sunt articuli generalissimè spectati in suis denominationibus, causis, alijsq; adjunctis numero plurimis.

II.

II. Simul etiam refutat argumentis generalibus, quamcunque *religionem à veritate exorbitantem* sive sit in Ecclesia sive extra Ecclesiam, ut ita eò fortius permaneat, clariusq; appareat immota illibatae religionis veritas, ad quam tanquam Lydium lapidem attrita & probata, omnia evanescunt *Φαντάσματα & γλαυκώματα.*

III.

III. Cum non sufficiat, veritatem scire & extruere, falsitatem verò refellere & destruere, verum oportet ut & alij hujus rei fructum quendam percipiant, ecce ostenditur nobis hoc in loco *modus & ratio convincendi & convertendi homines sine Christo existentes, ab alienatos à Repub. Israël & extraneos testamenti promissionis spem non habentes, Deoq; carentes in mundo*, ut Apostolus loquitur, Eph. 2. v. 12. quales sunt Judæi, Turcæ, gentiles & hæretici.

IV.

IV. Tandem pars hæc Theologiæ generalis telam suam pertexit & absolvit propugnando religionis benè agnitæ, à falsitate vindicatae & hominum mentibus implantatae *εὐληθείαν* & veritatem ac sinceritatem, cum enim tribus machinis pater ille mendacij verum Christianismum temerare & subvertere audeat, nempe per *ἀπιστίαν, κακοδοξίαν ἢ ἀσεβείαν*, ad earundem propulsionem omnimodamq; ex hominum animis eradicationem, Christianæ religionis summoperè, confortanda, munienda ac stabilienda est veritas.

THEOREMA II.

Pars specialis s.
propria.

Pars specialis Theologia vel propria est, quæ circa spiritualem hominis lapsi curam paulò specialius occupatur, exponendo distinctè & in specie istius cura principium & finem, simulq;

simulq; hominis morbum & remedia, unde hac pars vicissim potest distingui & quidem septem illius sectiones constitui possunt.

Sicut in quacunq; actione humana aut politica, non præcipiti conatu procedendum, verum necesse est ut præcedat aliqua *αργαργασκευή*, & deinde per certos quasi gradus non statim ac repente sed paulatim ac pedetentim res expedienda tractetur; ita quoq; in actione hac spirituali, si cum fructu versari quis velit, fiat oportet; postquam enim generaliter in parte communi spectata fuit lapsi hominis cura per veram religionem in actum producenda, jam demum præsupposita generali ista *Διαπέψει* ea ipsa medela saluberrima paulo specialius distinctius & accuratius venit perpendenda, quo pacto feliciter *inchoari*, feliciter *continuari*, felicissimè demum *absolvi*, & in actum produci queat. Porro Medicus aut nunquam aut difficilimè sanitati ægrum restituet, si non plenam & planam habeat morbi secundum naturam & qualitates suas cognitionem, multò minus convenientia ac proficua applicabit medicamina; pariter animæ corruptæ spiritualis medicus eandem feliciter non curabit aut pristinae integritati restituet, adeoq; spiritualibus remedijs haud allevabit, nisi plenissimè perspectam prius habeat spirituales illam *καχεξίαν* qua penitissimè ac lethaliter infecta laborat; Propterea etiã pars hæc specialis distinctè & in specie non modo medicinæ hujus mysticæ *principium & finem* verum etiam *morbum curandum & remedia* adhibenda, recenset, idq; in distinctis ut audiemus capitibus.

THEOREMA IV.

Prima sectio nominari potest σοιχειολογική in qua explicari debet principium omnium credendorum & agendorum nempe Verbum Dei scriptum.

Sectio. 1.
σοιχειολογική.

In unaquaq; disciplina principia ante omnia veniunt spectanda ac præcognoscenda; in disciplina disciplinarum sacro sancta Theologia idem meritò fieri debet, ubi principium principiorum, est scriptum Dei ter maximi verbum. Principium sanè *ἀναπόδεικτον* quod nulla

Nulla priore demonstratione nulliusque creaturae testificatione opus habet, sed per se, uti est θεόπνευστον, est quoque αὐτόπιστον. Principium verum, imò verissimum & ipsa veritas Johan. 17. v. 17. Principium & ἀξίωμα omni fide & assensu dignissimum. Principium quod est omnium Theologicarum conclusionum causa prima & immediata, ex quo non solum fiunt ac derivantur, sed in idem quoque rursus resolvuntur. De hoc itaque primo omnium sollicita est Theologia, hoc ipsum πρώτως & μονοτρόπως attendit, ut exinde τῶν πᾶν ἢ πραγμάτων desumendo, morbidum hominem corrigere & ad sanitatem pristinam facilius feliciusq; perducere possit.

THEOREMA V.

25. εὐδαι-
μονολο-
γική.

Secunda sectio dicitur εὐδαιμονολογική quia εὐδαιμονία vel veram beatitudinem totius Theologia finem explicat, qui cum sit gloriosa & beata Dei fruitio, differendum est de duobus nempe de Deo ipso & de beata illius fruitioe.

Exposito & considerato principio summo quod est verbum Dei, jam legitimo ordine succedit finis respectu hominis proximus, qui est beata Dei fruitio, qui ut rectè possit tum intelligi tum comparari, Dei optimi maximi, quo frui debemus aliquando, & cujus gloria, finis omnium summus & ultimus est in Theologia, cognitio acquirenda est, quantam quidem in verbo revelato subministrare voluit, & per ejus gratiam exinde haurire possumus. Quippe Deum nosse consummata justitia est, & scire justitiam ac virtutem illius radix est immortalitatis, Sap. 15 v. 3. Hæc est vita æterna (summa & infinita beatitudo) ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum, inquit Salvator Joh 17. v. 3. Quemadmodum ergo disciplinæ practicæ primum de fine & deinde de medijs agunt, sic & ipsa Theologia, quæ habitus est practicus, post expositum principium, finem suum considerat qui æterna est beatitudo. Finem omnia appetunt, propter finem agunt & in finis consecutione acquiescunt; quanto magis hoc fit in fine omnium summo & ultimo, hinc Regius psaltes canit. Quid mihi est in celo & à te quid volui super terram? Psal. 73. v. 25. & ita in Dei sui possessio-

possessione & fruitione lubens acquiescit. Finem consideramus in actionum tam initio quam sine, & ut loquuntur, tam in intentione quam in executione; similiter & Theologia facit, qua beatam Dei fruitionem & in principio tanquam finem obtinendum, & in fine tanquam finem obtentum homini commouit, veluti ex hoc & decimo apparebit Theoremate.

THEOREMA VI.

Tertia sectio dici potest καὶ ἰολογικὴ qua spirituales hominis miseriam & corruptionem una cum precedente integritatis stata describit. 3. καὶ ἰολογικὴ

Quale καὶ ἰολογικὴ ac quam miserima hominis sit depravatio con- queritur inter alia sanctus Job dicendo: Verebar omnia opera mea; lamentatur Esaias: omne caput languidum & omne cor marens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; fatetur Ecclesia: quasi pannus menstruatae universa justitia nostra, quales ergo erunt iniustitia? Cum autem rectum index sit tam sui quam obliqui & quae se expellunt contraria sint invicem sui declarativa, quanto praestantior & perfectior praecedens extitit integritas, tanto peior ac miserabilior subsequens evasit corruptio atque pravitas; in intellectu primum erat vera & perfecta scientia, ei jam successit plana ac turpis ignorantia, in voluntate erat cum Creatore suavis consensio, illius locum subiit gravis dissensio; in viribus cunctis promptum erat obsequium, id quod jam in hostile transit praelium. Hinc non immerito, quando in hac ipsa sectione καὶ ἰολογικὴ spectatur misera hominis corruptio & perversitas, ejusdem quoque pristina depingitur perfectio & integritas.

THEOREMA VII.

Quarta Sectio est ἰεραπειυτικὴ, qua agit de immediatis & propinquis miseriae nostrae remedijs, per qua spiritualis sanitas nobis potest restitui, qualia sunt electio, redemptio, vocatio, justificatio & renovatio. 4. ἰεραπειυτικὴ

B 33

Qui

Qui suorum medicaminum principia, medendi finem, mor-
 biq; & affectus naturam perspectam habet Medicus, in applican-
 dis antidotis & alexipharmacis ad restituendam ægro sanita-
 tem occupatur sedulo; Jam quod divina benignitas Medico
 largitur per naturam, id ipsum dat spirituali Archiatro Theolo-
 go per Theologiam & gratiam; Hinc enim habet curationis suæ
 mysticæ principium, quod est verbum vitæ aeternæ, Joh. 6. v. 68. ver-
 bum salutis, Actor. 13. v. 27. *ὄψοφουλακὸν* mortis, Joh. 8. v. 51.
 habet medelæ finem, qui est beata Dei fruitio, cognoscit ægri sui
 languorem morbidamque dispositionem, quidni ergo caelestia
 promeret antipharmaca & δύναντι suam *ἰατρικὴν* exere-
 ret? ad quam ipsam sufficienter instruitur à divinarum misera-
 tionum thesaurario D. Paulo, in climace Apostolica Roman. 8.
 v. 29. & 30. quos præscivit, eosdem & prædestinavit conformes fieri ima-
 gini filij sui, quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit,
 hos & justificavit, &c. Itaque proxima ac præsentanea primævæ
 corruptionis nostræ pharmaca sunt electio ad salutem per fidem,
 redemptio ab hostibus per Christum, vocatio ad Ecclesiam per ver-
 bum, justificatio & renovatio per gratiam, &c. de quibus quarta
 justo ordine agit Sectio.

THEOREMA IIX.

§. ὅτι ἐστὶν
 universalis.

Quinta Sectio appellari potest ὅτι ἐστὶν universalis, qua
 ostendit quomodo totum corpus fidelium & spiritualiter sa-
 natorum, quod est Ecclesia conservari, recteq; gubernari pos-
 sit.

Sicuti non sufficit rem incipere, sed oportet quoq; continuare, ita
 neque satis est sanare sed convenit insuper in sanitate conserva-
 re. Uxor Loti angelorum quidem ministerio educebatur è So-
 domorum incendio, verum voluptatum illecebris irretita atque
 allecta retro respiciebat & sic in salis statum vertebatur, Ge-
 nes. 19. v. 26. quod seriò inculcando repetit Salvator Luc. 17. ver-
 su 32. Sexcenta millia Israelitarum è servitute Ægypti quidem e-
 ducebantur, verum propria malitia terram promissionis non
 attin-

attingendo, in eremo omnes cadebant, Num. 14. Iudas partici-
pando cœnam Dominicam eamque pedibus conculcando, non
refectionem verum perditionem expertus est. Similiter pecca-
to perditii homines mysticæ medelæ & curationis suæ exiguos
sentirent fructus, nisi in eadem sanitate assererentur, nisi in *unum*
corpus fidelium, in sanctorum contubernium, in templum sanctum in Do-
mino & habitaculum Dei per Spiritum, collecti, in acquisita sanita-
te facti tecti conservarentur, optimeque gubernarentur. Nam
quod ille ait: *Non minor est virtus quam querere parta tueri,* id sa-
nè hic cumprimis militat, proinde etiam ad conservandam par-
tam *ἐνεξίω* spirituales, in collecto fidelium sanatorum corpo-
re, hæc ipsa sectio, sanatoria universalis dicta viam sternere ac
modum præscribere debet.

Eph. 2.

THEOREMA IX.

*Sectio sexta nuncupari potest ὑγιεινὴ particularis qua 6. ὑγιεινὴ
docet quomodo singuli, justificati vel spiritualiter sanati se particula-
gerere debeant, ne gratiam Dei & sanitatem spiritualem ite-
rum amittant.*

D. Paulus σκεῦθαι istud ἐκλογῆς sancti spiritus inspiratione
Ecclesiam Christi eruditurus, non specialibus modo cætibus, ut
pote Romano, Corinthiaco, Ephesino, Colossensi, &c. verum *beris, ser-
vis, maritis, uxoribus,* adeoque certis sæpè individuis, certa præ-
scribere voluit monita; quem secutus est D. Petrus Collegij A-
postolici præses, & S. Johannes non in genere modo auditori-
bus suis verum in specie, filiolis, patribus & adolescentibus fi-
delis extitit *παραινήτης;* Posteaquam igitur totius sanati corpo-
ris, quod est Ecclesia *πίησιον τε ἢ διοίκησιον,* universalis ὑγιεινὴ
contemplata est in sectione antecedente, jam in hæc ipsa subse-
quente & ὑγιεινὴ particulari, uniuscujusque membri restituti &
sanati, fidelis cura habenda est, ne sanitate semel recuperata or-
betur, & quod poëta ait, *totus grex,* uti fieri solet

Unius scabie cadat & porrigine porci,

sed

sed vel in viam regiam reducatur, vel ad interitum carnis, in salutem vero spiritus, mystico

Ense recidatur ne pars sincera trahatur.

THEOREMA X. & ultimum.

7. εὐδαι-
μονολο-
γιακή.

Septima Sectio tandem rursus esse debet εὐδαιμονολογιακή, quæ finis executionem describit, agitq̄, de hominis morte, de statu post mortem & connexis materijs, sicut in sequenti libro hæc omnia exponuntur fufius.

I. Peritus architectus domum aliquam extructurus, non tam in principio quam umbilico struis, finem suum, qui est perfecta extructio & consequens inhabitatio serio sibi præfixum habet. Ethicus summum bonum sive beatitudinem moralem, Politicus civilem in capite & calce suæ πραγµατείας intendit. Nauclerus suum portum, suamque Helicem & in excursu & in recurfu transfretationis suæ gnauiter advertit. Sic & augustissimi sacerrimi que Theologiæ palatij fabricator, finem illum summum, εὐδαιμονίαν semel in initio & in fine iterum sibi præfigit, hanc æternalem beatitudinem, hunc portum tranquillitatis & Helicem æternitatis in intentione & executione ὀλοψύχως cum connexis, qualia sunt: status post mortem, finis mundi, resurrectio mortuorum, iudicium extremum, infernus & vita æterna advertit, pensitat atque considerat, & in hujus sui finis adeptione etiam lætus acquiescit, uti dictum supra in Theorem. V.

Summa
partitio-
nis.

2. Perficitur autem medela hæc spiritualis, adeoque sic partitio nostra systematis Theologici, σωπτόµως ἢ ὡς ἐν τύπῳ ad hunc modum: Homo lapsus curandus est vel generaliter vel specialiter. Generaliter vel in se, vel extra se; in se curatur dupliciter, tum per vera religionis implantationem tum per falsa eradicationem; extra se & per aliorum conversionem, & per vera religionis propugnationem; quæ quidem singula persequitur & complectitur pars Theologiæ communis sive generalis: Deinde homo lapsus curandus est quoque specialiter,

liter, cuius cura spectatur: I. Principium nempe verbum Dei in parte σοιχειολογικῆ. II. Finis quoad intentionem, sempiterna sanitas, sive beatitudo in εὐδαιμονολογικῆ. III. Objectum circa quod miseria hominis in παθολογικῆ. IV. Remedia miseriae hujus immediata in θεραπευτικῆ. V. Media conservanda sanitatis universalis quoad Ecclesiam in ὑγιαίνῃ universalis. VI. Media sanitatis individualia, quoad singulos sanatos in ὑγιαίνῃ particulari; & demum. VII. iterum finis quoad executionem in εὐδαιμονολογικῆ.

3. Cum ergo Theologia habitus sit practicus θεόσδοτος. Probatur: mentem Theologi eo dirigens, ut homines lapsos per veram religionem perducatur ad æternam beatitudinem; cum subjectum operationis Theologiae sit homo lapsus, in quantum sanandus, beandus & ad æternam salutem perducendus; cum denique finis formalis & propinquus Theologiae sit æterna hominum beatitudo, vel beata Dei fruitio; certò hinc concludere possumus de partitione nostra: Quæ partitio vel divisio rei divisæ sic adæquatur ut ejus naturam, rationem formalem s. quidditativam, subjectum & finem sufficienter, legitimo ordine ac modo exprimat & exhauriat, ea quoque est legitima, sufficiens, perfecta & adæquata; nostra partitio est talis uti jam probatum, E.

4. Ex abundantia pro majori assertionis nostræ stabilitatione, ex adductis in Theor. 1. §. 8. Polani rationibus ita concludimus: quæ partitio 1. verbi divini partibus non est adversa sed accommodata. 2. convenit cum finibus scripturæ. Rom. 15. v. 4. & 2. Tim. 3. versu 16. enumeratis. 3. congruit cum fine Theologiae proprio, ultimo & summo. 4. In accessione & appropinquatione ad Deum dextrè nos informat. 5. Apostolorum doctrinæ & institutioni est attemperata. 6. Cum vera Christianæ religionis praxi consonat: Ea partitio est legitima asserente hoc ipso Polano & numerosa rationum, testimoniorum & dictorum ab ipso adductorum serie & segete: Jam restat ut hæc omnia de nostra partitione verificentur, & quidem quoad: 1. quacunque ratione scriptum DEI verbum dispescatur & quotquot modis dividatur (quorum aliquos recenset Palladius

1. à definitione.
2. à subjecto.
3. à fine.

4. Per rationes Polani.

I.

C

dus

dius in *Isagoge*, Dn. D. Himmelius in *Memoriali*) eorum nulli nostram Theologiæ partitionem adversari certò scimus, quod enim in illis separatim & indistinctim proponitur, in Systemate Theologico certo ordine modo & serie exponitur ac diducitur, id quod inductione omnium partium & articulorum Theologiæ demonstrari posset si opus esset.

II.

§. Quoad II. ex locis allegatis constat, *quintuplicem esse scripturæ finem*; accommodatio enim scripturæ vel est Theoretica vel Practica, Theoretica versatur circa *vericognitionem*, unde oritur *διδασκαλία* & *falsi refutationem*, unde *ἔλεγχος*. Practica applicatio versatur vel circa *bonum agendum*, unde *παιδεία*; vel circa *malum culpa fugiendum*, unde *ἐπιτιμωσις*, vel circa *malum pœna tolerandum*, unde *ἠδικησις*; quemadmodum differit in methodo sua Clariss. Dn. D. Gerard. p. 217. & seq. Hisce finibus undiquaque congrua est partitio nostra Theologica; si enim respicias *διδασκαλίαν*, certè nihil aliud facit quam ut lapsum hominem de omnibus ad salutem necessarijs ad filum scripturæ sufficienter erudiat; si *ἔλεγχον*, non modo veram religionem confirmare ac propugnare, verum etiam quasvis ab exordio mundi in hodiernum diem ortas *ἑτεροδιδασκαλίας* & *κακοδοξίας* refellere & ad veritatis divinæ lancem ac incudem revocare & trutinare docet. Si *παιδείαν* spectes, nonne abunde ad boni actionem & DEI accessionem, Ecclesiæ associationem & æternæ felicitatis intentionem cohortatur? Si *ἐπιτιμωσιν*, nonne pseudo Christianismū, spiritualis sanitatis impedimenta, veræque pietatis obstacula cane pejus & angue fugienda monet & ingeminat? Si ultimo *ἠδικησιν* consideres, quid consolatione plenius, quid conscientia pavidæ lætius, quid misero homini dulcius, narrari aut prædicari potest, quam justissimum judicem ac dynastam cæli & terræ, cujus edictum nefariè violando & sibi & posteris æternam mortem accersivit, ex mera gratia & misericordia voluntatem suam & modum ad se accedendi revelasse, Ecclesiam collegisse, ejusque membra æternum beanda decrevisse? quæ omnia cum in nostra Theologiæ

logiæ partitione exactissimè explicentur, eandem Verbi Θεοπνεύ-
58 finibus aptissimam dignè judicamus.

6. Quoad III. *Finis Theologia non est operatio tantum &*
praxi nuda, ut Polanus vult; sed vel internus vel externus, inter-
nus est deductio hominum ad salutem sive cura illa spiritualis
circa hominum salutem intendenda; externus est vel objecti-
vus & remotus gloria DEI; vel formalis & propinquus, æterna
hominum beatitudo. Quos fines singulos & universos à Theo-
logia ejusque data partitione unicè intendi & spectari, ex dictis,
ut & disputatione Collegij hujus octava ἀναφανδόν elucet.
Quoad IV. & V. à nemine sanæ mentis negabitur, quod præ-
ter Theologiam (distinctè & methodicè propositam) nihil ma-
gis ad Deum nos ducat eiq; conjungat; quippe quæ est Πίγνω-
σις illa ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, Tit. i. v. i. divini verbi Πι-
τομή & summa vere angelica, via veritatis & semita ad Christum,
unica, quæ relictis humanæ rationis sententiis ac devijs ad nor-
mam Θεόπνευστον conformata & fundamento Prophetarum ac Apo-
stolorum superstructa est, Eph. 2. v. 28.

7. Sin itaque divinam essentiam *introspicere* cupis, Theo-
logia te instruit, sin eandem *venerari* satagis, Theologia mo-
dum præscribit, si DEO *conjugi* desideras, mysticum gluten
Theologia exhibet, si Christum *adire* laboras, Theologia via est
viamque monstrat, si domum fidei in petrâ, tentationum ven-
tis in expugnabilem *fabricari* conaris, Theologia ceu fidelis ar-
chitectus fundamenta delineat, ac de tota strue ad entheum
perpendicularum adornanda & exornanda te informat; Theolo-
giæ studium præsentaneum est ἀγνοίας in spiritualibus nobis
connatæ ἀντίδοτον, ἀταξίας in affectibus hærentis ἀνιφάρακτον,
ad sanctitatis & pietatis culturam ὀρμητήριον, quotidie Deum
in verbo audiendi & cum Deo per preces colloquendi ὄργανον,
adeoque sanctissimæ & beatissimæ illius societatis, quam in cæ-
lo expectamus suave quoddam πρεσβύλιον. Quidni ergo sacro
codici consona Theologia, per omnia membra sua, divini par-
ticipes nos redderet contubernij?

8. Tandem quod VI. & ultimum attinet, ex partitio-
nis no-

III.

IV. V.

VI.

nis nostræ *Ἀποπέψει* apparet, quod inter eam & veræ religionis *πεῖξι* debita & exacta intercedat *παναρμοσία*. Cum enim Theologia hominem lapsum (non secus ac Medicina ægrotum) sanandum ac restituendum sibi proponat, primo generaliter in vera religione ipsum instruit, à falsis dehortatur præcavet ac præmunit, adeoque in modo alios convertendi & veram religionem propugnandi informat. Deinde in specie de principio actionum omnium, Verbo DEI, de fine ultimo beata DEI fruitione semper intendenda, de miseria & præcedente integritate, de miseriæ remedijs, de Ecclesiæ & membrorum ejus regimine & tandem de beatitudine iterum, quæ hinc consequitur, erudit & instruit.

Conclusio.

9. Ex quibus omnibus firma stat & immota, nostra de vera Theologiæ partitione sententia, quam §. 2. Theorem. X. Synopticè proposuimus; cujus consideratione etiam hæc proœmiales seu de præcognitis Theologicis exercitationes propitio cum Deo finimus. Eundem cum *Fulgentio* obnixè rogitantes, ut doceat nos multo plura quæ nescimus, à quo accepimus pauca quæ scimus; ipsum oramus, ut præveniente ac subsequente misericordia, quæcunque salubriter scienda nescimus doceat nos, in his quæ vera novimus custodiat nos, in quibus veris titubamus confirmet nos, & à falsis atque noxijs eripiat nos, ut in cogitationibus ac sermonibus nostris, quod salubriter donat inveniat, & ea faciat de ore nostro procedere, quæ sint coram ipso principaliter grata & sic fiant fidelibus cunctis accepta per Christum Dominum nostrum,

A M E N.


SOLI DEO GLORIA.



05 A 2486

ULB Halle
004 545 273


3



KD 17







THEO.
M
X.

PAR.
E OLO.
ATI SY.
OGICI.

EHOVÆ

EISNERI,
Publ.
torio minori

ARIUS,

dianis.

ormanni,

X

